

SEDVLVS MILES SUEVIAE.



Sedulus apud Sueuos natus & educatus erat. Erat is insigni corporis et animi fortitudine praeditus. Itaque animum ad militiam adiecit, & rebus praeclarè gestis magnam auctoritatem sibi passim comparauit. Postea inter baronis Heuensis equites receptus fuit. Contigit autem ut Sedulus ille cum urbe Rotuilense Sueviæ contentionem haberet. Eam cum iure obtinere non posset, armis ius suum exequi conatus est. Itaque uenia discedendi à domino suo impetrata, ne is quoque bello implicaretur, anno post nativitatem Domini millesimo trecentesimo tricesimo quinto, ipse solus huic ciuitati, armis & opibus instructissimæ, more solito pacè resignauit, atque aliquoties eorum ciues, occasione oblata, bonis & uita priuauit. Ut autem eis etiam illuderet, aliquando nobili quodam fidelí amico secum sumpto, in habitu monachali Rotuilem peruenit, atque se se abbatem uendit auit. Itaque ab eius loci magistratu honorifice exceptus, atque honorario uino donatus fuit. Postea discedens extra portam se manifestauit, atque magistratui de uino oblato gratias egit.